

CATONIS DISTICHA

Poetae Latini minores III, 214-217

Deo supplica.
 Parentes ama.
 Cognatos cole.
 Datum serua.
 Foro parce.
 Cum bonis ambula.
 Antequam voceris, ne accesseris.
 Mundus esto.
 Saluta libenter.
 Maiori concede.
 Magistratum metue.
 Verecundiam serua.
 Rem tuam custodi.
 Diligentiam adhibe.
 Familiam cura.
 Mutuum da.
 Cui des, videto.
 Convivare raro.

1. Si deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
 Hic tibi praecipue sit pura mente colendus.
 2. Plus vigilia semper neu somno deditus esto;
 Nam diuturna quies vitis alimenta ministrat.
 3. Virtutem primam esse puto, compescere linguam:
 Proximus ille deo est, qui scit ratione tacere.
 4. Sperne repugnando tibi tu contrarius esse:
 Conveniet nulli, qui secum dissidet ipse.
 5. Si vitam inspicias hominum, si denique mores,
 Cum culpant alios: nemo sine crimine vivit.
 6. Quae noctura tenes, quamvis sint cara, relinque:
 Utilitas opibus praeponi tempore debet.
 7. Clemens et constans, ut res exposulat, esto:
 Temporibus mores sapiens sine crimine mutat.
 8. Nil temere uxori de servis crede querenti:
 Semper enim mulier quem coniux diligit odit.
 9. Cum moneas aliquem nec se velit ille moneri,
 Si tibi sit carus, noli desistere coeptis.
 10. Contra verbosos noli contendere verbis:
 Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.